

3135

C O D I C E S

3136

Agilus conf. *Solina*, *Pbara*, *Baltidis* virgines fatis peregrini paene omnes. Finem imponit Officium pro Mortuis. Theca anterior in folio typis excuso prioris Seculi possessorem prodit *Antonium de Lamare D. de Cheneuarin*, cujus Stirpis Scriptores duos novimus *Nicolaum* et *Pbilibertum*, additis cum descriptione *heraldica* ejus Insignibus aeri incisis.

DCCCXCIV.

498 Codex membranaceus lat. Sec. XVI. Folior. 200. 4. caractere grandi, eoque nitidissimo exaratus, literis initiorum coloribus auroque adumbratis, titulisque miniatis, est *Horarium*, scriptum, ut videtur, in *Augustana* Dioecesi, nam in *Calendario* praevio ad diem 4. Julii rubro legitur: *In Augusta Vdalrici episcopi*, ad diem 7. Aug. *In augusta affre martyris*, ad diem 12. *In Augusta Hylarie et ali.* ad diem 6. Sept. *Magni abbatis*, ad diem 22. *Mauricii et soc.* ad diem 28. *Dedicatio matricis ec. Aug.* ad 29. Oct. *Narcissi episcopi et martyris*. *Calendarium* sequuntur *Excerpta Evangeliorum*, ut *Cod. DCCCLXXI*. *Passio Christi* secundum *Johannem*. *Officium*. B. V. M. *Psalmi Poenitentiales* cum *Litaniis*. *Officium pro Defunctis*. *Officium de S. Cruce*. *Orationes* variae ad Deum et *Coelites*, item ante et post *Eucharistiae* functionem *perfolvendae*. *Maximum Codici ornamentum* accedit a *nitidissimis Picturis*, quarum sex finitae

sunt, una inchoata, duobus tantum linearibus designata altera. Quae exhibentur, haec sunt: *Johannes* in lebeti olei, *Christus* orans in monte *Olivet*, *Salutatio Virginis Angelica*, *Ejusdem* *Visitatio*, *Corpus Christi* *Sepulchro* inferendum, *David* *Populi* pestilentiam deprecans, *Servator* *cruci* adfixus adstantibus *Suis*, et *Ejus* in *Jordane* *Baptismus*. *Margines* *παραγραφα* ornant, saepe parum pertinentia; ita *Pueros*, quibus *efformandis* maxime *studuisse* videtur *Artifex*, *musicos*, *venatores*, *lusores* videas. *Fol.* 82. *Christo* *crucem* *bajulanti* *obponitur* *triumphus Romanorum*, insignitus anno *MDXXIII*. qui annus operis conditi credendus, quamvis ultimam illi manum non impositam fuisse, praeter dicta testantur *Folia* aliquot *vacua Picturis* destinata et complures *Litterae* initiorum solis ductibus indicatae.

DCCCXCV.

Codex membranaceus lat. Sec. 85^a XII. Folior. nunc 188. 8. est enim utrinque mutilus, luculente et eleganter perscriptus, rubricisque enotatus *sacras Precationes* continet, quarum praecipuae partes sunt: *Cursus de Spiritu sancto*, et *de VII. donis spiritus sancti*. *Prior* *Feminae* est; orat enim: *ut talis inueniar in eius iustissima examinatione, qualis facta sum in lauacro felicissima regeneratione. ut eius medicamine imbuta, sacrosancti lauacri ablutione lota, bonisque operibus decorata ad eterna gaudia perv-*

3137

LITURGICI.

3138

uenire merear &c. Alter Monachi; nam petit, ut in ipso perfecteretur *sacrorum ordinum dignitas et sacramentorum uirtus et sancte unktionis et monastice consecrationis operatio* &c. Fol. 28. p. 2. *Cursus omnium operum domini*, id est, mysteriorum vitae Christi. *Cursus* hi constant Particulis Psalmorum, quae Orationibus interstinguuntur. Fol. 53. Orationes complures de Passione et Cruce Domini. In his multae rursus ex ore Feminae, uti et deinceps. Fol. 108. *Preces ad communionem corporis domini*. Fol. 117. p. 2. *Incipit psalterium beate et gloriose semper virginis Marie*. Rhythmis conceptum, quibus immiscentur per intervalla Salutationes Angelicae. Fol. 133. p. 2. *Augustini episcopi oratio ad sanctissimam mariam*, quae incipit: *Singularis meriti sola sine exemplo mater et uirgo* &c. Fol. 143. p. 2. *Letania de S. Maria*, cum pluribus aliis ad eam precibus, quas inter Oratio ad eam simul et *Johannem Ev.* directa. Fol. 167. p. 2. *Litania pro in finem*, id est, pro felici obitu. Fol. 171. p. 2. *Cursus pro defunctis*, adjunctis *Psalmis* pro iisdem. Fol. 181. *Cursus s. trinitatis quem docuit S. Johannes bapt. quendam heremitam*. Adhaerent Orationes ad *S. michabelem, proprium angelum, Johannem Bapt. et Apost.* in qua postrema deficit *Codex*, quem in usum Sanctimonialium cujusdam Parthenonis, et fortassis a Sore quadam Calligrapha, descri-

ptum autumo. *Cursus* et *Litaniae* in eo contentae multum differunt ab iis, quae tardius invaluere, et ipse spiritus, tenorque Precum talis est, ut eas multis temporum lapsu subnatis praehabeas. Sunt tamen et inscita quaedam, ut fol. 177. p. 2. ubi rogatur *S. Trinitas*, velit memor esse *omnium miseriarum suarum, quas unquam in ueteri et in nouo peregit testamento*; nisi fortasse legendum sit *mysteriorum suorum*.

DCCCXCVI.

Codex membraneus lat. Sec. ⁶⁸⁴ XIV. Folior. 127. 4. caractere grandi, elegantique exaratus, literis omnium initiorum colore auroque depictis *Preces* varias complectitur, quas ordine indicabimus. Praeit Formula *Confessionis* Deo faciendae hoc initio: *Confiteor tibi domine pater celi et terre coram sancto altari tuo et huius loci reliquiis omnia peccata mea* &c. Dein: *Incipit Psalterium Beati Jeronimi*. Sunt Psalmi sequentes: V. LXXXVII. XXVII. XXXIII. L. LIII. LXIII. LVI. LXIX. LXXXVII. CI. CXVIII. CXXIX. et CXLII. sed initiis tantum delibatis, mixtisque mox versiculis aliunde depromptis, unde etiam subjuncta *Oratio* ita incipit: *Suscipere et exaudire digneris hos uersiculos congregatos* &c. Simile Commentum jam *Cod. CCCVI*. occurrit. Succedit longa ad Deum *Preces* rhythmica, immixtis auro liquidissimo scriptis sed corruptis